



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Mechtildis 29. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

videre, tum filiam etiam diem fecit. Jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EYSTASIVM licet. Et tulit ille operæ pretium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vafer, nihilque monachi præter nomen vestemque præferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magisterium affectavit, & cum minus ex sententiâ cederet, instituit magistrum EYSTASIVM totumque Columbani gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupo, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit a servulo impacta; cum eum non multò antè accusatorem expertus EYSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic paulò post, prævisâ (quò minus timeret) morte, rectius accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

*O si velimus omnem mentis nostræ paralyfin pervidere, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis, quemadmodum Christus & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & perungit invitos. S. Pet. Chryf. serm. 50.*

S. MECHTILDIS V. 29. Martii.

**C**eras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidè, quod ferè amat in illustribus puellis fieri, in cunis desponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Dieflæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quam abhorruerit, inde æstimes, quòd omni lecto absti-

nuerit,

nuerit, carnem quàm oderit carnisque illecebras, inde, quòd ab hâc semper, dum vixit, abstinerit; sed nec vinum admiserit unquam, nisi Ratisponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum fuit & non nectar potius, quod cælum invitæ tertio tunc miscuit. Jam virginē adultam illam, sed elinguem, & ab orco obsessam unâ operâ & linguæ vinculis, & obsidione tam gravi liberavit. Plura alia mira, quæ vel cùm Antistita esset Edelstertæ in Sueviâ, vel Dieffæ (nam huc sub vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt prodita, quòd morbos reduces non silentibus minaretur. Capilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengensem cùm dotem monasterio impetrasset, partem reddituum devovit sanctioribus panibus pensendis, qui sacrificantium usui cederent. Atque hoc est credo, cur ultimùm agrotanti solatia è cælo tulit VIRGO MAGNA, & cibum divinum Angeli ministrarunt, quando nec epulum, nec epuli spectacula, nec structores, nec conviva nobiliores potuerunt esse. Ex tom. 4. ant. lect. Canisii.

*Consitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam; ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chryf. serm. 30.*

## S. REGULUS EPISC. 30. Martii.

**I**Ter in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti tertius comes REGULVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cùm illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGULVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit,